



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

Educ 405.2



HARVARD
COLLEGE
LIBRARY



.

—





15 Sept. 1856.

Receiving Request.

over

NATALICIA

DIVI CAROLI FRIDERICI

BADARUM QUONDAM MAGNI DUCIS

DIE XXII. NOVEMBRIS MDCCCLV

AB

ACADEMIA HEIDELBERGENSI

RITE PIEQUE CELEBRATA

SIMULQUE

PRAEMIA COMMISSIONIBUS VICTRICIBUS DECRETA

NOVASQUE QUAESTIONES PROPOSITAS

RENUNTIAT

JOANNES CHRISTIANUS FELIX BAHR,

PHIL. DR. LITT. ANTIQ. PROFESSOR P. O. BIBLIOTHECAE PRAEFECTUS PRIMARIUS, SEMINARI PHIOLOGICI DIRECTOR,
LYCEI EPHORUS, MAGNO DUCI BADARUM A COSSILIIS AULAR INTIMIS, ORDINIS LEONIS ZARING. EQUES,

ACADEMIAE H. T. PRORECTOR.

*Disseritur de literarum studiis a Carolo Magno revocatis ac schola Palatina
instaurata.*

HEIDELBERGAE.

TYPIS GEORGII MOHR.

MDCCCLV.



~~VI. 6497~~

~~Educ 405.2~~

Educ 405.2
L





Collegae conjunctissimi!

Viri summe reverendi! juris consultissimi, experientissimi, amplissimi!

Commilitones dilectissimi!

Auditores omnium ordinum, quotquot adestis, honoratissimi!

Viginti fere anni praeterlapsi sunt, cum ex hoc loco solemniter, celebraturus natalicia CAROLI FRIDERICI, Divi Principis, verba facerem de scholis publicis sive Academiis, ¹⁾ quae imperii Romani jam labentibus annis et Romae et Constantinopoli Imperatorum cura fuerunt et conditae et sustentatae, confluentibus in utramque urbem ex omni terrarum orbe juvenibus literarum studiosis, qui ad altiora studia accederent, ²⁾ satis praeparati cum essent in provinciis imperii Romani, quae nec scholis nec aliis bonarum artium subsidiis tum prorsus caruerunt.

Jam redeunte hoc die solemniter haud diu circumspicendum erat, quod mihi sumerem dicendi argumentum ad concelebranda haec natalicia Divi Principis, qui et ipse hanc nostram Academiam instauravit literasque in hanc sedem revocavit, e qua bellorum furore omniumque rerum perturbatione fuerant expulsae: qui hanc ipsam Academiam, inter antiquissimas Germaniae Universitates haud ultimam

interire non passus est, verum novis incrementis et ornamentis eandem auxit et ampliavit. Hujus igitur Principis, quem rerum nostrarum instauratorem pia mente colimus, memoriam revocaturus, dicam de literarum studiis post res Romanas per occidentem eversas insecutamque barbariem revocatis a Carolo Magno, qui scholis bonarum artium restauratis et auctis has ipsas artes servasse, ad omnem posteritatem propagasse omniumque adeo nostrae aetatis literarum fundamenta retinuisse putandus est.

Qua in re vix necesse erit pluribus exponere, quantum detrimenti bonarum artium studia iis saeculis sint passa,³⁾ quibus imperii Romanorum occidentalis variis in terris nova exstiterunt regna barbarorum fere populorum, nec tamen ita rudium,⁴⁾ quin mature jam, quanta in literis posita sit vis, intelligerent seque ab his ipsis literis haud prorsus abhorrere posse perspicerent, si regnum armorum vi partum tueri vellent. Accessit Christianae religionis lux, per has terras ita propagata, ut hominum animos ad literarum studia excitaret coque efficeret, ut in Gallia praesertim, quae terra jam olim prae ceteris imperii occidentalis provinciis bonarum artium studiis ac praecipue eloquentia excellere putabatur,⁵⁾ doctrinae studia non plane exstinguerentur, sed postea adeo laeta incrementa caperent, ut humanitatis studia inde servata et in posteram aetatem translata dicenda sint. Id vero Caroli Magni opera potissimum factum esse, negari nequit. Etenim sub Merovingorum imperio liberalium artium studia non prorsus conticuerunt regesque ipsi passim Latinae linguae, cujus valde studiosi erant, usum in legibus ferendis, in jure dicundo, aliis ad rempublicam pertinentibus retinuerunt, literarumque studia, quantum in ipsis erat, coluerunt.⁶⁾ Unde factum est, ut etiam nobilium ac procerum filios, qui ad aulam accesserant regis in ministerium traditi,⁷⁾ Latina lingua institui ac bonarum artium studiis quodammodo imbui vellent virosque eruditos,⁸⁾ quos clericos fuisse consentaneum est, ad aulam accesserent, qui praeter munera ecclesiastica, quibus in aula fungerentur, his pueris quoque vacarent instituendis, quos deinceps ad altiora reipublicae munera evectos aut, si mature discedentes a regis Palatio rerum divinarum studiis se dedissent, ad superiores ecclesiae dignitates promotos videmus. Hinc igitur orta est schola



illa Palatina,⁹⁾ quae sub Caroló Magno ejusque successoribus tantum effloruit, ut omnium bonarum artium seminarium merito appellari possit. Neque sane aliis literarum scholis illa aetate omnino caruit Gallia,¹⁰⁾ ad clericos for- mandos jam antea conditis et plerumque conjunctis cum sede cathedrali: in quibus scholis septem illas disciplinas secundum Martianum Capellam traditas esse docet insignis Gregorii Turonensis locus in fine historiae Francorum.¹¹⁾ Qualis vero haec institutio fuerit, ex eodem Gregorio Turonensi¹²⁾ cognoscere licet conquerentis adeoque ingemiscantis, quod liberalium literarum studia a Gallicanis urbibus prorsus discesserint omnisque bonarum artium cultura perierit, seque ipsum excusantis ob styli rusticitatem veniamque a legentibus precantis, si in literis aut in syllabis artem grammaticam excesserit, de qua adplene se imbutum esse negat.¹³⁾ Neque hoc mirum videri poterit, Merovingorum imperio in dies magis dilabente, tota republica bellis aut seditionibus domesticis vexata, ecclesia omnibus malis pressa: adeo ut literarum studia vel magis languescerent prorsusque jacerent; neque enim, ut scribit Monachus Egolismensis,¹⁴⁾ ante Carolum Magnum in Gallia ullum fuerat studium liberalium artium: itaque per haec tempora quamquam commemorantur viri¹⁵⁾ docti nonnulli, qui vel regum ministri vel Episcopi sacerdotesve literis colendis operam dederint, tamen vix quidquam, quod bonae frugis sit ac dignum quod cum antiquorum Romanorum operibus conferri possit, prolatum esse reperimus. Neque meliorem fuisse literarum statum per alias occidentalis Europae regiones, si pauca illa excipias liberalium artium vestigia, per Italiam atque Iiberniam servata, vix est quod moneamus, timendumque sane erat, ne bonarum artium studia a Graecis ac Romanis exculta posterisque tradita penitus interirent. A quo interitu bonas literas vindicasse easdemque ad omnem posteritatem propagasse Carolum Magnum merito pronuntiamus.¹⁶⁾

Qui a quo tempore regni gubernacula suscepit, de regno augendo, stabiliendo, firmando cogitans, cum in tanta omnium rerum perturbatione literarumque incuria se ipsum firmum stare regnique fines tueri haudquaquam posse intellexisset, nisi viros literarum antiquarum institutione bene excultos indeque aptos esset

nactus, quibus in regno administrando uteretur: continuo ad literas restaurandas animum adjecisse videtur, quarum licet ipse expers esset, tamen vim ac dignitatem commodaque inde paranda minime ignorabat. Quo consilio ductus, jam anno septingentesimo septuagesimo quarto cum Langobardorum regno esset potitus, ex Papia civitate,¹⁷⁾ quam ceperat, secum adduxit Petrum Magistrum,¹⁸⁾ qui in Palatina schola, non extincta illa quidem sed admodum lapsa bonisque ut videtur magistris destituta, grammaticam artem doceret: eodemque fere tempore Paulum Diaconum,¹⁹⁾ qui et ipse in Papia civitate olim cruditus, in Langobardorum aula postea quoque vixisse videtur, ut in Galliam se reciperet commovit: qui Paulus quam familiaris deinceps Carolo Magno fuerit, propter literarum scientiam, ut ait Sigebertus,²⁰⁾ ab eo adscitus ad ipsa literarum studia instauranda et promovenda, satis constat. Nec multo post, ejusdem saeculi anno septuagesimo sexto Carolus, cum fori Julii ducatum occupavisset, Paulino quoque Aquilejensi²¹⁾ persuasit, ut in Galliam proficisceretur operamque suam literis restituendis impenderet: neque his contentus Adrianum Papam adiit, ut artis grammaticae et literarum doctores mitteret in Galliam, in qua studiorum lumen denuo accenderent. Misit Adrianus, ut scribit Ekkehardus,²²⁾ duos magistros cum authenticis antiphonariis et septem liberalibus artibus: unde simul cognoscitur, Carolo Magno id ante omnia fuisse propositum, ut, quae omnium literarum sunt fundamenta, septem artes liberales, quas clericos jam antea edoctos fuisse supra monuimus, ex oblivione, in quam inciderant, denuo quasi revocarentur hisque rite tractatis reliqua literarum studia superstruerentur. Atque his viris ex Italia arcessitis Theodolphum quoque, qui postea Aurelianensis fuit Episcopus, virum doctrina aequae ac summo bonarum artium promovendarum studio praestantem, adnumerari posse, sunt qui contendunt.²³⁾

Neque vero Caroli Magni cura in his substitit: majora et altiora spectans addidit Alcuinum:²⁴⁾ quem virum inter omnes, qui ad humanitatis studia resuscitanda insignes illa aetate exstiterunt, maxime excelluisse novimus. Haud quidem hujus loci est, pluribus exponere de hujus viri doctrina tot scriptis probata, nec magis disserere hic vacat de antiquarum literarum studiis, quae in Britannia,





unde Alcuinus arcessitus fuit, admodum floruerunt: nos, ceteris missis, ea tantum proferamus, quae ad literarum antiquarum studia in Caroli regno revocanda scholasque vel emendandas vel augendas pertinent.

Alcuinus, Eboracensis presbyter, ab Eanbaldo Archiepiscopo, cui pallium impetraret, Romam missus „cum reverteretur accepto pallio, habuit regem Carolum Parma civitate obvium: quem magnis rex alloquens suasionibus et precibus postulavit, ut ad se post expletionem Missatici in Franciam reverteretur: noverat enim eum, qui olim a magistro suo ad ipsum directus erat.“²⁵⁾ Accidit hoc mense Martio anni septingentesimi octogesimi primi: quo tempore Carolum Parmae commoratum esse aliunde satis probatur.²⁶⁾ Alcuinus his precibus obsecutus, ad Palatium regis pervenit, qui patris loco Alcuinum amplexus, in artes liberales ab eodem introductus esse dicitur.²⁷⁾ Qui enim in grammatica discenda Petrum audiverat magistrum, ut supra diximus, in ceteris disciplinis Alcuinum habuit praeceptorem, apud quem et rhetoricae et dialecticae, itemque astronomiae operam dedit artemque computandi et siderum cursus rimandi didicit.²⁸⁾ Neque ab eo inde tempore, quo Alcuinus ad regem accesserat, Carolus eundem a se discedere passus est:²⁹⁾ intimam cum Alcuino mox contraxit consuetudinem, qui non in literis tractandis tantum sed in rerum publicarum etiam vel ecclesiasticarum cura sollertissimus regi exstitit auctor et suasor, mox opibus et muneribus ab eodem ita auctus, ut acciperet duo monasteria, Ferrariense et Sancti Lupi in suburbio Tricassium³⁰⁾ atque deinde quum, redeundi in patriam venia a Carolo impetrata, ut ab Episcopo suo ac rege suo rite dimitteretur, ex Britannia reversus patriae in omne tempus valedixisset, Turonensi monasterio Sancti Martini praeficeretur.³¹⁾ Praecipua tamen ejus cura in Palatio fuit, in quo cum Carolo per menses hibernos a curis bellicis libero literarum studia tractaret, ejusque filios aequae ac procerum regni nobiliumque pueros institueret: unde illum scholae Palatinae quam supra diximus praefectum quodammodo fuisse, quamquam disertis verbis traditum nusquam exstat,³²⁾ tamen dubitari vix poterit. Alcuinum enim e Britannia arcessendo et in Gallia retinendo id quam maxime spectasse videtur rex, ut hoc viro omnium doctissimo et peritissimo schola Palatina, quae

per temporum decursum valde lapsa propemodum concidisset, denuo resurgeret eumque acciperet splendorem, ex quo ceteris scholis longe praefulgeret. Qui enim pro antiquo Francorum more in Palatio erant sive pueri sive adolescentes³⁹ nobilium ac procerum regni et una cum regis ipsius filiis conversabantur atque enutriebantur, eos non tantum armorum tractandorum peritia, verum etiam bonarum artium studiis excellere voluit rex, ut inde apti essent ad amplissima regni munera peragenda administrationemque regendam: id quod ab hominibus imperitis nec ulla literarum doctrina tinctis fieri non posse bene intellexerat. Qui enim Romanum imperium redintegrare quasi studuit, is Romanas quoque literas et doctrinae studia cum his conjuncta aequae revocare in animo habuit, in Gallia aliisque regni partibus fere extincta et collapsa: itaque eum virum, quem harum ipsarum literarum peritissimum omniumque doctissimum pro illa aetate ferebant,⁴⁰ ad se vocavit ejusdemque opera potissimum usus studia illa resuscitare constituit, quorum praecipua sedes in ipso esset Palatio: ibi enim commorabatur Alcuinus, in monasteria sua plerumque recedens, quando rex ipse absens⁴¹ bellis gerendis aliisque rerum publicarum curis distineretur: in ipso Palatio coram rege ejusque tota domo Romanarum literarum studia tractabantur puerique nobiles ingenis artibus ita instituebantur, ut nova literarum lux e Palatio effulgere et in ceteras regni provincias dispergi videretur: Palatina igitur schola Alcuini potissimum opera ita effloruit, ut inde Romanarum literarum atque omnino bonarum artium studia renata et in posterum tempus ad nostram usque aetatem tradita merito praedicare liceat; quid? quod, ut monachi San Gallensis verba referam, Alcuini doctrina in tantum fructificavit, ut moderni Galli sive Franci antiquis Romanis vel Atheniensibus aequarentur.⁴² Quam laudem nimiam si quis dixerit: id tamen negari nequit, humanitatis sive antiquarum literarum studia, quibus adhuc juvenum animi aluntur et nutriuntur, quibusque ad altiora instituuntur et praeparantur, illa aetate sic revocata esse, ut fundamentum exhiberent non ejus tantum doctrinae, quae proximis inde saeculis per medium aevum obtinuit, verum etiam ejus, quae seculo decimo quinto et sexto denuo effulsit renatarumque literarum nomine vulgo declaratur.

1

—

Quae cum ita sint, juvat utique accuratius horum studiorum in Caroli Magni Palatio actorum rationes cognoscere ipsiusque Palatinae scholae imaginem quasi sistere, quantum quidem id per testimoniorum inopiam fieri poterit: quibus destituti ne incerti vagemur, ea tantum, quae certa scriptorum illius aetatis fide constant, proferamus. Ac primum quidem de ipsa hujus scholae sede quaerere licet: quam cum Palatio conjunctam fuisse dubium non est, ipsum vero Palatium quum unum non esset sed varia variis regni in terris cum essent Palatia, in quibus rex, prouti placuit, commoraretur, sequitur, scholam Palatinam vix certum locum stabilemque sedem in uno quodam Palatio habere potuisse: quamquam enim credibile adeoque probabile est, per hibernos potissimum menses regem ejusque domum in uno Palatio substituisse ibique literas quoque tractasse, tamen certam huic scholae sedem qui assignant,³⁷⁾ certis utique testimoniis destituti, ita a vero mihi aberrare videntur, ut vel contrarium ipsius Alcuini³⁸⁾ fide et doctorum virorum auctoritate³⁹⁾ mihi probare posse videar. Itaque in quo Palatio rex ejusque domus versabatur, in eo schola quoque erat, quae regem, quocumque se converteret requiescendi causa a gravioribus vel bellorum vel rerum publicarum curis, sequebatur: Parisiis⁴⁰⁾ igitur acque atque Aquisgrani,⁴¹⁾ quo loco mensibus hibernis saepius utique Carolum substituisse novimus,⁴²⁾ aliisve adeo locis,⁴³⁾ quo, ut Alcuini verbis utar, iter instabilitatis deduceret,⁴⁴⁾ schola fuit Palatina sive Academia, quam quidam vocant, modo ne eum virorum doctorum coetum sive societatem intelligas,⁴⁵⁾ qualem certis legibus descriptam hodie hoc nomine designare solent, sed de literarum commercio cogites liberiori, quod et Carolus et tota ejus domus cum Alcuino ceterisque scholae Palatinae magistris adeoque cum ipsis discipulis, qui nobilium plerumque fuerunt filii in regis aula nutriti, habuerit, mensibus praesertim iis, quibus rex in Palatio hiemaret.

Jam ad alterum accedamus, ut quaeramus, quaenam fuerint artes ac disciplinae, quae duce et praeside Alcuino in schola Palatina sint tractatae. Sponte hic nobis se offert ipsius Alcuini locus, quo docemur, non alias fuisse atque eas, quas supra jam teste Gregorio Turonensi per Galliam olim tractatas esse invenimus. Namque in dialogo illo,⁴⁶⁾ quo discipulum et magistrum Alcuinus

inducit loquentes, quo modo et quibus gradibus ad philosophiam, quae omnium virtutum sit magistra, adscendi queat: septenos esse gradus ostendit magister, per quos ad altiora spectantibus sit transeundum: Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam, Arithmeticam, Geometriam, Musicam, Astrologiam. Has igitur disciplinas, quae omnis altioris eruditionis ac rerum divinarum cognitionis fundamentum exhibeant,⁴⁷⁾ in schola Palatina duce Alcuino esse tractatas satis inde patet easdemque etiam ab ipso Carolo maximo loco habitas esse vel ex eo cognoscitur, quod in Palatio Aquisgranensi a se exstructo non solum bella, quae in Hispania gessit, sed septem etiam artes liberales totidem figuris depingi iussit:⁴⁸⁾ quippe quas rex in suo Palatio coli atque tractari voluit. Accedunt quoque carmina illius aetatis, quibus septem illae artes celebrantur,⁴⁹⁾ addita adeo medendi arte,⁵⁰⁾ quam eandem in Palatio tractatam esse intelligimus.

Grammatica, ut inde exordiar, quomodo tractata sit, satis apparet ex Alcuini dialogo de grammatica:⁵¹⁾ quo libello omnia breviter indicantur, quae ad hanc artem pertinere putabantur: breviarium sive, ut nunc loquuntur, compendium dixeris artis grammaticae pueris ediscendae, ut quaerenti magistro de singulis respondere possent. A Donati atque Prisciani⁵²⁾ libris profecta haec grammatica partem etymologicam quam nos dicimus complectitur singulasque regulas exhibet exemplis ex optimorum quorumque scriptorum orbe depromtis firmatas: Priscianum quoque imprimis sequitur Alcuinus in libro de Orthographia,⁵³⁾ quem in scholarum usum conscripsit, ne ulla grammaticae disciplinae pars pratermitteretur: hanc enim artem ei, qui recte scribere et dicere velit, aequae necessariam esse existimabat.⁵⁴⁾ Ceterum cum hac grammaticae artis tractatione dubitari nequit conjunctam fuisse veterum scriptorum Romanorum lectionem, qua ad horum scriptorum elegantiam in dicendo et scribendo, quantum id fieri posset, accederent omninoque se ad illorum exemplaria conformarent, adeo ut in sermonis Latini puritate ac sententiarum elegantia veterem Romam denuo repraesentarent ejusdemque studia in novo Caroli Magni imperio Romano renascentia praerberent, Virgilium⁵⁵⁾ ante omnia, Ovidium, Horatium, Terentium,⁵⁶⁾ alios poetas,

Vertical line on the right side of the page.

Small horizontal mark at the bottom left.



e solutae orationis scriptoribus Ciceronem potissimum secuti, dicendique genus imitando exprimere conati: quod quam sedulo factitarint, Alcuini, Theodulphi, aliorum carmina, ne plura afferam, satis commonstrant.

Sequitur Rhetorica: quae quomodo fuerit tractata, ex altero ejusdem Alcuini libello sive dialogo⁵⁷⁾ cernimus, in quo Carolum regem secum colloquentem inducit de hac arte, cujus vim in quaestionibus civilibus, in quibus assidue versabatur, dirimendis cum intellexisset rex, eandem quoque ab Alcuino sibi impertiri voluit. Qui ubi regi quaerenti singula exponit praeccepta, quae ad hanc artem spectant, plane ea refert, quae antiqui Romani de hac arte tradiderunt: a quibus ita totus pendet, ut vel initio hujus dialogi, ubi quantum valeat haec ars exponit, „juxta auctoritatem veterum“ ab eloquentia omnem repetat vitam civilem eandemque eodem fere modo, quo Cicero,⁵⁸⁾ omnis cultioris vitae parentem extollat, qua homines ex feris et immanibus redditi sint mites et mansueti. In hac igitur disciplina Romanorum antiquorum ac praecipue Ciceronis praeccepta exponuntur: neque dubium est, quin Ciceronis libros huc spectantes auctoremque ad Herennium sive Cornificium,⁵⁹⁾ alios omnino Alcuinus ante oculos habuerit diligenterque tractaverit.

Rhetoricam excipit Philosophia vel potius dialectica ars: quae cum parem habeat vim in rebus publicis tractandis variisque Palatii quaestionibus solvendis, eam quoque Carolo quaerenti exponit Alcuinus in opusculo eo,⁶⁰⁾ in quo, tribus philosophiae totius partibus, Physica, Ethica, Logica, expositis, in Logica sive dialectica subsistit ejusque regulas, Aristotelem praecipue secutus, exponit: neque sane in his quidquam reperitur, quod non ex veterum disciplina profectum sit: Ciceronis huc spectantes locos, Aristotelis et Porphyrii libros Latine redditos a Boetio praecipue adhibitos esse facile intelligimus.

Neque Arithmeticam et Astrologiam, quae est siderum eorumque cursus cognitio, neglectam fuisse, ipsius Caroli verba ad Alcuinum directa ostendunt,⁶¹⁾ itemque libellus Alcuini de cursu et saltu Lunae ac Bissexto,⁶²⁾ alia, quae in Alcuini Epistolis tractantur:⁶³⁾ haec enim res cum accurata festorum dierum indicatione conjuncta fuit, in qua Bedam Venerabilem jam multum ela-

borasse constat. Itaque de hac utraque arte aequae ac de geometria ac musica, ad quam metrorum quoque pertinet ratio, de qua se scripturum esse promittit Alcuinus,⁶⁴⁾ similem in modum Alcuinum tractasse singulis libellis, quibus primaria praecepta scholae in usum exposita continerentur, adeo fit probabile, ut omnem septem artium liberalium orbem totidem libellis sive breviariis ab Alcuino expletum fuisse existimem:⁶⁵⁾ sed perierunt libri huc spectantes aut nondum inventi sunt, si quo in loco lateant.

Quam vero rationem sive methodum in his docendis secuti sint, si quaeras: ipsi libelli ab Alcuino conscripti, quos memoravimus, hanc nobis demonstrant: dialogum plerumque praebent, inter magistrum et discipulos habitum Socraticamque eam exhibent rationem, quae quaerendo et respondendo continetur et viva voce singula praecepta ac regulas omnemque inde artis ambitum discipulo tradere studet, qui hoc modo omnia rite discat omnibusque bene perceptis ad altiora transire queat. Hac vero bonarum artium tractandarum ratione libera minusque adstricta id quoque effectum putamus, ut ipse rex his sese daret studiis, quorum amore jam antea captus erat, ut cum Alcuino de rebus ad literarum studia pertinentibus tractaret et quaestiones huc spectantes agitare:⁶⁶⁾ quid? quod filios suos⁶⁷⁾ tradidit Alcuino instituendos his ipsis studiis, quibus vel soror,⁶⁸⁾ filiae, omnisque regia domus dedita erat. Atque ex hoc literarum commercio, quale in regis Palatio floruit, eam familiaritatem⁶⁹⁾ fluxisse existimem, ex qua qui hoc modo bonas artes in regis aula scholae Palatinae coluerant, iisdem studiis postea etiam tenerentur eum in modum, ut virorum antiquitatis vel sacrae vel profanae insigniorum cognomina sibi imponi iisque se appellari sinerent ab Alcuino, qui quum plerumque summa observantia ac devotione regem ejusque domum, regni que proceres alloquatur, haec cognomina in honorem quasi indita esse ad hoc studiorum commercium declarandum significat. Qui enim ipse Flaccum se appellat,⁷⁰⁾ is Carolum regem alloquitur Davidem, ejusque sororem Gislam vocat Luciam, cujus comites Richtruda et Guntrada Columbae et Eulaliae nomen referunt: Einhardus vocatur Beseleel, Fredegisus Nathanael, Adalhardus Antonii et Augustini, Wala frater Arsenii et Jeremiae



nomine indicatur: Angilbertus, qui Bertham Caroli filiam in matrimonium duxerat, Homerus praedicatur, Wigo appellatur Candidus; Riculfum, qui postea Mogontiaci, Richbodum, qui Trevis exstitit Archiepiscopus, alterum Damoetae, alterum Macarii nomine Alcuinus designat: et quae sunt alia hujus generis, quibus utique liberius illud literarum tractandarum studium, idque summo cum honore conjunctum indicari arbitramur: quandoquidem qui his cognominibus ornantur, summis vel imperii vel ecclesiae muneribus perfungebantur, ad quae in schola illa Palatina erant enutriti atque instituti. Academiam vero, qualem hodieque cogitare solemus, certis legibus constitutam atque administratam in Caroli regis Palatio qui exstitisse inde autumant, ii temporum illorum atque studiorum rationem haud satis mihi respexisse videntur.

Ad haec studia septem artium liberalium rite tractanda Romanosque scriptores⁷¹⁾ perlegendos scholae Palatinae discipulos libris sive voluminibus scriptis carere non potuisse consentaneum est: nec quidquam impedit, quo minus credamus, Alcuinum, a quo tempore ad Caroli aulam accesserat, omnem dedisse operam, ut libri ad institutionem necessarii omni modo comparati adessent; qui enim in Britannia instructissima usus erat bibliotheca Eboracensi⁷²⁾ veterum auctorum classicorum aeque ac scriptorum Christianorum operibus refertissima, is profecto in Caroli Magni schola Palatina iis libris carere noluit, qui ad scholae usum pertinerent: hos igitur, si in Gallia parati non essent, ex Britannia aliisque locis afferendos et describendos curavit:⁷³⁾ quantum vero studium Caroli aetate omnino fuerit in librorum tam sacrorum quam profanorum voluminibus summa fide ac religione summoque adeo splendore ac nitore describendis,⁷⁴⁾ tot codices superstites adhuc monstrant variis locis repositi: unde qui nostra aetate veterum scriptorum verba ad antiquissimorum librorum manu scriptorum fidem exigere ac restituere conantur, eos ad codices Caroli aetate conscriptos merito regredi videmus, tanquam limpidissimos fideque dignissimos fontes. In Caroli igitur Palatio ad scholae Palatinae usum librorum ad institutionem necessariorum atque utilium volumina praesto fuisse non est, quod dubitemus, Caroli ipsius sive Alcuini cura comparata ac descripta, eademque etiam, cum tanto numero non essent,

quantum recentioris aetatis bibliothecae continent, una cum schola Palatina, quam certam sedem non habuisse supra diximus, transportata: nisi malis statuere, in singulis Palatiis, insignioribus certe illis, in quibus rex diutius commorari adeoque hiemare solebat, v. c. in Aquisgranensi, eorum librorum, qui ad literas tractandas necessarii haberentur, volumina descripta asservari solita esse singulasque igitur singulis in Palatiis exstitisse bibliothecas, si hoc nomine voluminum illorum collectiones appellare liceat.


Utut statuis, certum est in Caroli Magni Palatio librorum hujusmodi collectionem exstitisse, quam novit Einhardus⁷⁵⁾ in Caroli Magni testamento scribens „de libris, quorum in bibliotheca sua copiam congregavit“, quid rex statuerit. Hanc bibliothecam, si ita vocare liceat, Ludovici Pii, qui Caroli Magni fuit filius, temporibus adhuc exstitisse, docet Amalarius, cui librum de vita clericorum scribenti Ludovicus copiam librorum de suo Palatio dedisse fertur,⁷⁶⁾ ut ex his quae viderentur congrua exciperet. Atque Carolus Calvus testamento constituit,⁷⁷⁾ ut libri sui inter Sanctum Dionysium et Sanctum Marcum in Compendio dispertirentur.

Sufficiant haec diserta illorum ipsorum temporum testimonia: accedunt ipsa volumina quae adhuc exstant⁷⁸⁾ Caroli ipsius jussu vel rogatu conscripta: quae quin ex illa Palatina schola profecta fuerint, haud dubitamus: itaque dubitari nequit, in Caroli regis Palatio librorum ad scholae usum et ad bonarum artium studia tractanda necessariorum collectionem sive bibliothecam aequae fuisse atque archivium,⁷⁹⁾ in quo constitutiones publicae aliaeque ad res publicas spectantia documenta essent asservata.

Haec igitur fuit schola Palatina Caroli Magni studio et Alcuini opera resuscitata, optimis praeceptoribus⁸⁰⁾ instructa, primaria per Galliam literarum sedes: ut qui inde procederent bonarum artium institutione satis exculi, per varias regni late patentis provincias literarum renatarum lumen dispergerent ac disciplinarum fere extinctarum studia denuo accenderent.⁸¹⁾ Haud quidem prorsus interierant scholae per Galliam, meridiionalem praesertim,⁸²⁾ cum ecclesiis cathedralibus aut monasteriis conjunctae: sed nova haec quoque scholae incitamenta inde

Vertical line on the left side of the page.

Vertical line on the right side of the page.



acceperunt idque ejusdem Alcuini opera potissimum factum esse existimamus. Hic enim ubi aetate ingravescente in Sancti Martini monasterium apud Turonenses, quod a rege acceperat, secessit,⁸⁹ in hoc monasterio bonarum artium studia cum rerum divinarum studiis conjuncta eodem modo reffloruerunt,⁹⁰ quo in schola Palatina antea idem erat assecutus Alcuinus; neque dubium est, quin haec schola vim salutarem suam in reliquis Galliae praesertim scholas ita exercuerit, ut ad hujus exemplar se conformare atque in omnibus literarum studiis illam aequare studerent. Sed haec omnia persequi quum a nostro instituto alienum sit neque omnino per hujus orationis angustias commode fieri possit: in his subsistimus, id utique quam maxime tenendum esse rati: hac schola in Caroli Magni Palatio resuscitata bonarumque artium studiis inde renatis omnino effectum esse, ut haec ipsa bonarum artium studia, quae cum antiquorum scriptorum studiis adeo conjuncta sunt, ut divelli prorsus nequeant, retenta et ad medii aevi tempora transmissa, et cum aliquamdiu neglecta jacerent, saeculo decimo quinto denuo protracta, ingruentem barbariem cohibuerint omneque nostrae eruditionis, quae ab antiquis scriptoribus colendis proficiscitur, fundamentum conservaverint: quod ne ullo modo labefactetur nova barbarie ingruente, nobis quam maxime est cavendum.

Jam ad ea me convertam, quae dicendi occasionem omnino praeberunt, expositurus, quae Academiae nostrae acciderint anno praeterlapso sive laeta sive tristia, ut rerum humanarum fert conditio, simulque renuntiaturus nomina eorum, qui in certaminibus Academicis CAROLI FRIDERICI munificentia ad instaurandam suam memoriam conditis palmam reportarunt.

Academia nostra a Divo CAROLO FRIDERICO restaurata, ab ejus successoribus aucta et elata, intimo vinculo cum tota Principum domo se ita conjunctam sentit, ut quidquid huic acciderit, id ad se quoque pertinere existimet. Jam quid laetius, quid jucundius, quid gratius accidere potuit nuntio de FRIDERICO Principe nostro matrimonium inituro cum LUISA, serenissimi Principis Borussorum heredi-

taria filia, omnibus animi atque ingenii virtutibus ornata! quae res quanta laetitia omnium animos perfuderit, quantam rerum futurarum spem in omnibus excitaverit, non est, quod multis verbis declarem. Auxit hanc laetitiam grata memoria beneficiorum, quae FRIDERICUS Princeps noster clementissimus in hanc Academiam per hunc quoque annum contulit: qui prorectorem et quatuor decanos gratulabundos benignissime excepit seque rerum nostrarum fautorem ac statorem fore professus gratum animum significavit iis votis, quae Academia nostra pia mente tum suscepit atque hoc loco solemniter susceptura est.

Instituta quae dicuntur academica multis cujusque generis incrementis aucta esse laetamur. Chemicum Laboratorium, anno superiore incoeptum, ita finitum omnibusque partibus absolutum videmus, ut rerum naturalium studiosis utilissimam praebeat officinam. Clinicis institutis melius provisum est, addito altero aedificio, in quod aegrotantes recipi possint, alteriusque adeo structura proposita, ad eos recipiendos aegros, qui variolarum morbo infecti sunt, omni denique rerum oeconomicarum cura conjuncta redivitibusque inde auctis. Museum Zoologicum praeter alia, quibus insigniter auctum est, Societatis Indicae orientalis, quae Londini floret, ex dono accepit multorum Indiae animalium, avium praesertim, earumque rariorum exuvias, procurante Thoma Horsfield, viro doctissimo, Custode musei rerum naturalium hujus societatis. Aliud his rerum naturalium studiis accessit adjumentum herbario novem mille plantarum, quae a viro clarissimo et experientissimo Albers suis quaeque locis collectae, nostrae Academiae in studiosorum usum dono oblatae sunt. Quibus viris de re nostra meritissimum animam testificamur gratissimum. Haud paucas accessiones bibliothecae thesauri acceperunt, quibus multos quoque libros dono illatos esse grato profitemur animo: etenim hoc quoque anno commemoranda sunt illa volumina, quae Friderici Secundi Magni Borussorum regis opera continent, splendidissime typis expressa et religata, munificentia Friderici Guilielmi quarti Borussorum regis ad nos transmissa. Librorum sacrorum Novi Foederis volumen aequae splendide impressum et religatum, adeo ut verum artis typographicae monumentum haberi possit, ex





dono Deckeri accepimus, viri in hac arte spectatissimi, qui hoc volumen, Londinum prius deductum, tanquam artis specimen maxime insigne in bibliotheca nostra reponi voluit. Nequo societatum eruditarum neque collegarum neque aliorum virorum doctorum defuit liberalitas omnis generis libros eosque valde utiles bibliothecae offerentium: quibus omnibus, ut par est, maximas ac debitas hoc loco solenni peragimus gratias.

E professorum numero morte amisimus **LEGER**, senem maxime pro-
vectae aetatis, qui jam quadraginta abhinc annis docendi munus in Academia nostra susceperat; e privatim docentibus amisimus **BRINCKMANN** jurisconsultorum ordini adscriptum, longo et gravi morbo afflicto; **NEBEL** et **HOEFLE**, utrumque medicum meritissimum, praematura morte abreptum, alterum scriptis in publicum editis jam clarum et docendi facultate probatum. Ad Gottingam vocatus discessit **SCHOEBERLEIN**, ordinariam theologiae professuram suscepturus. Alios collegas, qui ad alias literarum sedes vocati erant, conditiones oblatas vel luculentissimas recusasse, seque in posterum quoque **Ruperto-Carolae** addixisse, est sane, quod nobis gratulemur collegisque illis de Academia nostra meritissimis summas persolvamus gratias. Munere abdicavit **CAROLUS ZELL**, qui compluribus muneribus quadraginta per annos rite perfunctus, otium cum dignitate petiturus bonarumque artium studiis consulturus missionem impetravit, vir doctrinae copia et docendi peritia haud scio an morum probitate animique candore magis conspicuus. In Zellii locum successit **BERNHARDUS STARK** ab Academia Jenensi, in qua easdem literas insigniter docuerat scriptisque inclauerat, ad nos vocatus. Privatim docentibus accesserunt in ordine theologorum **PLITT** theologiae licentiatum et verbi divini minister, in jurisconsultorum ordine **GOLDSCHIMDT**, in medicorum ordine **WELKER**, qui mox Academiam reliquit, ut prosectoris munus in Academia Gissensi obiret, **OPPENHEIMER** et **KUSSMAUL**; in philosophorum ordine **FRIDEGARIUS MONE**.

Disciplinae academicae praefectus est **LUD. STOESSER**, vir consultissimus.

Accedamus ad quaestiones anno praeterlapso propositas.

Postulaverat ordo Jurisconsultorum, ut exponeretur differentia stellionatus et criminis falsi. Una oblata est dissertatio, inscripta Ciceronis verbis:

„mens et animus et consilium et sententia civitatis posita est in legibus.“


Quae commentatio vel ob eam causam, quod contra statuta nostra vernaculo sermone conscripta est, tum vero etiam ob argumenti tractationem praemio ornari haud potuit. Auctor enim, cujus diligentiam ac studium merito laudamus, naturam juris criminalis nullo modo perspexit, fontes nec juris Romani nec germanici exploravit; rationem, quae inter jus civile et jus criminale in materia stellionatus et falsi criminis intercedit, non perscrutatus est neque ea, quae ab aliis scriptoribus in hac doctrina prolata sunt, satis examinavit.

Medicorum ordo hanc posuerat quaestionem:

In typho s. d. abdominali urca majore copia ex organismo cum urina prodire solet. Experimentis igitur doceatur: primum, in quo morbi stadio haec secretio augeatur, deinde, quis esse soleat hujus secretionis modus in catarrho intestinali.

Duae tempore legitimo ordini oblatae sunt commentationes, quarum altera insignita est verbis Pauli ad Thessalon.: „Probate omnia et optima retinete“, altera verbis Baglivii: „Zwei Pole sind in der Medicin: die Vernunft und die Beobachtung; die Beobachtung aber ist der Faden, nach welchem die Vernunftschlüsse des Arztes sich richten.“

Auctor commentationis, cui signo sunt verba Pauli Apostoli, rei citra dubium magnam quidem navavit operam atque assiduitatem; ast in instituendis, quibus ad scopum praefixum assequendum indigebat, investigationibus non ea, qua par erat, usus est sollertia et circumspectione. Calculi enim, quos analyses chemicae ab eo susceptae suppeditarunt, maxima ex parte a calculis ab aliis observatoribus hac in re huc usque obtentis tantopere differunt, ut summum non possit non moveri dubium, an iis habenda sit fides. Nihilominus tamen nec differentias hasce adeo insignes cum literatura huc spectante comparavit, nec earum sibi reddere tentavit rationem. Tantum abest, ut, quam in investigationibus suis sec-





tatus sit, methodum debito more exposuerit, ut enarrandis acquieverit morborum historiis adducendisque supra nominatis calculis, quibus, ut jam monitum, maximam ad partem deneganda est fides. Nequaquam igitur commentatio haec iis, quae requiruntur, ita respondet, ut auctor ejus dignus censendus sit praemio aut laudem mereatur aliam, quam quae magnae, cujus libellus sat manifesta exhibet specimina, operae debetur atque assiduitati.

Commentatio contra altera, cui Baglivii inscripta sunt verba, scientiae consentaneum prae se fert tenorem. Auctor enim ejus non modo, quam sequutus est, investigandi methodum sollerter atque perspicue explanavit, verum etiam, quod magni habendum est momenti, fontium errorum in ejusmodi perscrutationibus obviatorum sibi conscius fuit eosque rite respexit. Materiem tractandam praeterea ratione fini proposito adaequata distribuit, nec non literaturam ad rem spectantem ad amussim consuluit. In adjunctis morborum historiis hinc inde speciales quidem desiderantur ad resultata analysium chemicarum relationes. Contra vero laude dignum se reddidit auctor, quod fines thematis tractandi eum in modum est transgressus, ut hoc conamine ad conclusiones perductus fuerit, quae eo firmioribus nituntur fulcris. Quapropter Ordo decernere non haesitavit, auctorem hujusce commentationis praemio esse ornandum.

Schedula reclusa nomen comparet

SALOMO MOOS
e vico Randegg.

Ordo philosophorum hanc quaestionem historicam proposuerat: „Disseratur secundum auctorum testimonia, numos, inscriptiones, de rebus Chersonesi Tauricae inde a primordiis coloniarum Graecarum usque ad finem regni Bosporitani.

Una tantum oblata est commentatio, hac sententia Plinii Secundi inscripta: „Res ardua velustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam et naturae suae omnia. Itaque etiam non assecutis voluisse abunde pulchrum atque magnificentum est.“

Auctor libelli quamquam argumenti vim et ambitum non plane intellexisse videtur, diligentiam tamen in fragmentis et locis colligendis conspicuam plerumque probavit, inscriptiones non solum consultavit, sed etiam earundem syllogen accurate expressam appendicis loco addidit, itidem numos pro virili inspexit et nonnunquam delineando lecturis ob oculos posuit, eandem curam rebus geographicis et archaeologicis impendit, quas mappis et imaginibus hic illic illustrare conatur, totum argumentum satis apte in quatuor partes divisit, quarum prima situm, naturam et indolem Chersonesi Tauricae explanat, altera de originibus incolarum, tertia de coloniis Graecorum maxime insignibus agit, quarta denique mores, instituta et sacra et civilia barbarorum atque Graecorum complectitur.

Desideramus contra aptum rerum collectarum usum, crisin historicam et chronologicam, saepius etiam sermonem purum atque tersum. Deest alterum quaestionis caput, historia regni Bosporitani, quam temporis angustiae et librorum inopia impediverunt.

Nihilominus ordo, quum multa laudabilis diligentiae et doctrinae documenta exstent et nostra potissimum aetate juvenilis ardor in hoc quidem disciplinarum genere magis sit augendus quam diminuendus, commentationem praemio esse ornandam censuit.

Aperta schedula nomen legitur:

GUILIELMUS BRAUN

philolog. studiosus e vico Hof-Steinbach.

Die zweite Aufgabe, aus dem Gebiete der Landwirthschaft genommen, war diese:

Untersuchung über rohen und reinen Bodenertrag und Grösse des landwirthschaftlichen Capitals bei grösseren, mittleren und kleineren Landgütern in einer einzelnen Gegend von Deutschland, nach Erkundigungen an Ort und Stelle.

Die einzige eingegangene Abhandlung hat den Sinuspruch: Felix qui potuit rerum cognoscere causas, Virgil. Georg. Der Verfasser hat den Kraichgau oder die badischen Amtsbezirke Bruchsal und Bretten zum Gegen-

Vertical line on the left side of the page.

Vertical line on the right side of the page.

stande seiner Nachforschungen gewählt und in der 1. Abtheilung seines Aufsatzes eine fleissig und einsichtsvoll geschriebene, mit manchen guten Bemerkungen ausgestattete landwirthschaftliche Statistik jener Gegend vorausgeschickt. Die 2. Abtheilung, welche der Lösung der obigen Aufgabe geradezu gewidmet ist, lässt freilich Manches zu wünschen übrig. Die Angaben sind sehr unvollständig und bestehen zum Theile nur aus ungefähren Ueberschlägen, die abziehenden Kosten und das landwirthschaftliche Capital sind nicht durchgängig nach gleicher Regel berechnet und desshalb die Ergebnisse zur Begründung der allgemeinen Sätze, die in der 3. Abtheilung beigefügt sind, nicht genügend. Bedenken wir indess die Schwierigkeit einer solchen Untersuchung, besonders für den Ungeübten und bei einer kurz zugemessenen Zeit, so müssen wir auch eine unvollständige Lösung der Aufgabe als verdienstlich anerkennen, und da zugleich die allgemeine Beschreibung der Gegend in landwirthschaftlicher Hinsicht schätzbar ist, so ist dem Verfasser der Preis zuerkannt worden.

Schedula aperta reperitur nomen:

HERMANNUS KRUMMEL

stud. camerall. o vico Obereggenen.

In proximum annum hae proponuntur quaestiones:

Ordo theologorum postulat:

Comparentur inter se Spenerus et Zinzendorfius, ita quidem ut peculiaris pietatis christianae utriusque viri indoles et vis, quam uterque in ecclesiam sui temporis exercuit, sedulo describantur.

Ordo jurisconsultorum proponit quaestionem:

De jure fundorum, qui vocantur Almendae.

Ordo medicorum postulat:

Observationibus influxus eruatur contractionum uteri sub partu in sanguinis circulationem tam parturientis quam infantis; phaenomena hoc ex fonte prodeuntia explicentur et valor eorum, si quis practicus, determinetur.


Ab ordine philosophorum duae proponuntur quaestiones; altera ex philosophia: Eruatur e fontibus atque demonstretur, quibus in rebus Leibnizii doctrina, quam de monadibus protulit, cum Spinozae de substantia decretis congruat, in quibus differat. Quamquam commentationes e philosophia depromptae latino sermone conscribendae sunt, tamen hanc quaestionem tractaturis germanicae etiam linguae usus conceditur.

Altera e doctrina physica:

Die Wärmeleitfähigkeit eines Stoffes lässt sich bestimmen, indem man ein verschliessbares, sehr dünnwandiges Gefäss aus demselben bildet, dieses mit erwärmtem Wasser füllt, in ein grösseres, kaltes Wasser enthaltendes Gefäss bringt und die Temperaturänderungen des äussern und innern Wassers beobachtet. Es soll die Theorie einer solchen Bestimmung entwickelt werden nach den von Neumann in seiner Commentatio „de emendanda formula, per quam calores corporum specifici ex experimentis methodo mixtionis institutis computantur, Regiomonti 1854“ ausgesprochenen Principien.

Jam, Commilitones, patet campus, in quo vestras vires exerceatis: habetis argumenta, quae digna sunt vestris studiis: periculum igitur faciatis: descendite in arenam vobisque persuasum habetis, non defuturos esse Vobis nequos judices.

Unum adhuc restat, ut pia vota nuncupemus pro FRIDERICO, Principe Nostrò clementissimo ac Rectore Academiae Nostrae magnificentissimo, pro tota domo augusta, pro viris summis, qui summa prudentia, sapientia, benevolentia rebus nostris consulunt, pro salute Academiae nostrae, quam incolumem servet supremum numen per omnes rerum fluctus ac tempestates. Servet deus optimus maximus Principem nostrum augustissimum, servet Academiam nostram universamque patriam. Dixi.





ADNOTATIONES.

1) **Natalicia principis beatissimae memoriae Caroli Friderici, Badarum nuper magni ductis, Heidelbergensis literarum Universitatis restitutoris die XXII Novembris MDCCCXXXV pie celebrat Academia Ruperto-Carola simulque judicia — novasque quaestiones propositas renuntiat Joann. Christian. Felix Baehr, Academiae h. t. Prorektor. Dissertur de literarum Universitate Constantinopoli quinto p. Ch. saeculo condita. Heidelbergae, typis Georgii Reichard. Vid. potissimum pag. 3 sqq.**

2) Vid. *ibid.* p. 22 not. 9 et add. Hieronym. Epist. 125 ad Rustic. §. 6. (T. I. p. 929 ed. Vallarsi): „ac post studia Gallorum, quae vel florentissima sunt, (te mater) misit Romam, non parcens sumptibus et absentiam filii spe sustinens futurorum, ut ubertatem Gallici nitoremque sermonis gravitas Romana condiret.“ Constantius in Vit. Germani ep. 1. in Act. Sanctt. Jul. 30. (T. VII. p. 202): „— ut in eum perfectio literarum plena conflueret, post auditoria Gallicana intra urbem Romam juris scientiam plenitudini perfectionis adjecit.“ Conf. etiam Monnard. in Dissertat. mox laudanda p. 66.

3) De literarum statu per Galliam tristi conf. *Histoire littéraire de la France* III. Introduction p. 2 sqq. Neque meliorem aliis in terris literarum sortem fuisse satis constat.

4) Conf. *ibid.* p. 6 sq. 16 sq. Inde etiam explicandum, quod in ipsius regni administratione nihil fere mutandum voluerunt, sed omnia propemodum reliquerunt intacta.

5) Hieronymus, ne ad antiquiora tempora regrediar, scribit contr. *Vigilantium init.* (T. II. p. 387. Vallars.): „Sola Gallia monstra non habuit, sed viris prudentibus et eloquentissimis semper abundavit.“ Quem locum adeo excitat Richerus in *Historr.* I, 3. Inde apud Symmachum Epist. IX, 83 Gallicana facundia, et Epist. V, 52 schola Gallica palatii. Alla antiquioris temporis testimonia dabit C. Monnard. De Gallorum oratorio ingenio, rhetoribus et rhetoricae Romanorum tempore scholis (Bonn. 1848), inde a pag. 10 et sqq.

6) Conf. Histoire littéraire de la France III p. 16 sqq. Dom Pitra Histoire de Saint Leger et de l'Eglise des Francs au VII siècle (Paris 1846) p. 20 sqq. — Equidem h. l. unum asseram Chilpericum I, qui Clotario successit, altera sexti saeculi p. Chr. n. parte: hic enim teste Gregorio Turon. V. 45 de Trinitate disquisivit, librosque versibus conscripsit ac literas invenit quasdam vel potius addidit pueris discendas. Quod vero idem imperavit, „ut libri antiquitus scripti planati pumice rescriberentur“ (quem locum iis additum velim, quae de membranae rescribendae usu et historia attulit Frideg. Mone De palimpsest. p. 29), antiquis certe literis parum consuluisse videtur, nimio Christianae religionis et Christianarum literarum promovendarum studio abreptus. Caeterum ejusdem regis eloquentiam, doctrinam, poesin admodum celebrat Fortunatus Carm. IX, 1. p. 217 ed. Brower., qui idem alio carmine (VI, 4. p. 143) Chariberti eloquium ac Latini sermonis peritiam laudibus extollit.

7) Hinc aulici palatini vocabantur, ut ex iis, quae de Aredio puero narrat Gregorius Turonensis Hist. France. X. 29 init. cognoscitur. Huc quoque refero, quae de Chrodegango narrantur (apud Duchesne Histor. France. Scriptt. II. p. 204), qui in Palatio majoris Karoli ab ipso enutritus ejusdem referendarius exstitit ac demum Pippini Regis temporibus pontificale decus promeruit etc.

8) Unum commemoro ex his scholae Palatinae praeceptoribus, quem Fortunati carmina (VII, 1 sqq.) celebrant, Gogonem, de quo carm. 4. vs. 25. 26 legimus:

sive palatina residet modo laetus in aula,
cui schola congregiendiens plaudit amore sequax.

9) Hanc scholae Palatinae originem ex Palatio sive Aula (nam utrumque eodem redit: cf. Pertz, Geschicht. d. Meroving. Hausmeier p. 148 sq.) Merovingorum repetendam nuper ita probavit Dom Pitra l. l. p. 14 sq., ut in his acquiescendum plane existimem: id vero doleo, quod quam promisit notam de capella Merovingorum, quam cum hac schola conjunctam olim fuisse recte contendit, postea omittere coactus fuit; vid. p. 419. Opera grammaticorum inedita ex hac Palatina schola profecta idem se editurum promittit, Archives des miss. scientifiques (Paris 1854) IV, 3. p. 102.

10) Conf. Histoire littéraire de la France. T. III. p. 20 sqq. p. 22 sqq.

11) Hist. France. X, 19. p. 538 ed. Ruinart.: „Quodsi te, Sacerdos dei, quicumque es, Martianus noster septem disciplinis erudiit, id est, si te in grammaticis docuit legere, in dialecticis altercationum propositiones advertere, in rhetoricis genera metrorum agnoscere, in geometricis terrarum linearumque mensuras colligere, in astrologicis cursus siderum contemplari, in arithmetiis numerorum partes colligere, in harmoniis sonorum modulationes suavium accentuum carminibus concrepare: si in his omnibus ita fueris exercitatus“ etc. etc. Sic quoque in urbe Romana septem artium liberalium studia per Gregorium Sanctum admodum culta adeoque revocata esse docet locus Joannis Diaconi in Vit. Gregor. II, 18: „Tunc rerum sapientia sibi templum visibiliter quodammodo fabricarat, et septemPLICIBUS

artibus veluti columnis, nobilissimorum totidem lapidum apostolicae sedis atrium fulciebat" etc.

12) „Accedente“, scribit Gregorius in Praefatione operis p. 1. 2. ed. Ruinart., „atque immo potius pereunte ab urbibus Gallicanis liberalium cultura literarum, cum nonnullae res gererentur vel recte vel improbe ac feritas gentium desaeviret, regum furor acueretur, ecclesiae impugnarentur ab haereticis, a catholicis tegerentur, serveret Christi fides in plurimis, refrigesceret in nonnullis, ipsae quoque ecclesiae vel ditarentur a devotis vel nudarentur a perfidis nec reperiri posset quisquam peritus in arte dialectica grammaticus, qui haec aut stilo prosaico aut metrico depingeret versu, ingemiscabant saepius plerique dicentes: vae diebus nostris, quia perit studium literarum a nobis nec reperitur in populis, qui gesta praesentia promulgare possit in paginis“ etc.

13) Ibid. et in Prologo libri primi; item in fine libri decimi p. 537 ed. Ruinart. De vitis patr. II. p. 1152 sqq. ed. Ruin.

14) Apud Duchesne l. I. II. p. 76. Nec aliter Lupus Epist. I. ad Einhardum scribit de studiis longo situ collapsis, quae paene interiissent, nisi per Carolum essent revocata, „cul literae usque eo deferre debent, ut aeternam ei parent memoriam.“ Plura de tristi literarum ac studiorum sorte per haec tempora vid. in Hist. liter. de la France III. p. 421 sqq. IV. p. 2 sqq.

15) Passim in Fortunati carminibus, unde profecti sunt auctores libri saepius laudati Histoire lit. de la France III. p. 19 sqq. Add. Dom Pitra l. I. p. 19.

16) Hoc idem jam recte vidit Gaillard Hist. de Charlemagne T. III. p. 278. 287.

17) In hac regali civitate literarum studia sexto adhuc saeculo et sequentibus floruisse scholasque bonarum artium exstitisse, alia ut taceam, vel Ennodii scripta satis declarant. De Ennodio conf. quae dixi in libro: Die christl.-römische Theologie (Gesch. d. Röm. Lit. Suppl. II) §. 183. et in Ersch. et Gruber. Encyclop. Sect. I. Vol. XXXIV. p. 46 sq. Add. Fessler, Institut. Patrologg. II, 1. p. 911 sqq. Daniel, classische Studien in der christlich. Gesellschaft (von Gaisser) p. 46 sq. Mich. Fertig, Magnus Felix Ennodius und seine Zeit. P. I. Passau 1855. 4.

18) Einhard. Vit. Carol. 25: „in discenda grammatica Petrum Pisanum diaconum senem audivit“ (Carolus). Quae eadem versibus repetit Poeta Saxo Ann. de gest. Carol. lib. V. 233. p. 176 T. II. ed. Duchesne s. Mon. German. I. p. 271. Alcuin. Epist. 85. p. 126: „Idem Petrus fuit, qui in Palatio vestro grammaticam docens claruit.“

19) De Paulo Diacono accurate tractavit Bethmann in Pertz. Archiv d. Gesellschaft für deutsche Geschichtskunde X. p. 255 sqq. ubi vid.

20) De Scriptt. Eccless. cp. 80.

21) Cf. Tiraboschi Storia dell. lett. III. p. 156 et quae plura de Paulino dixi in: Geschicht. d. Röm. Literat. im Karoling. Zeitalter p. 137 sqq. 356 sqq.

22) in Vita Notkeri cp. 2. in Actt. Sanctt. 6. April. T. I. p. 582. Goldast. Rerr. Alamann. Scriptt. T. I. p. 228. Monach. Egollismens. loco supra l. (II p. 75 ed. Duchesn.): „et

dominus rex Carolus iterum a Roma artis grammaticae et computatoriae magistros secum adduxit in Franciam et ubique studium literarum expandere. jussit^a. De cantoribus, quos Carolus ab eodem Adriano petiit, plura idem scriptor l. l.

23) Vid. Histor. France. scriptt. ed. Duchesne T. III. p. 336. Dubitat Mabillon, cujus notam vid. in Sirmondi Opp. II. p. 891. De ipso Theodulpho conf. quae dixi in: Geschichte der Römisch. Literat. im Karoling. Zeitalter §. 34 sqq. p. 91 sqq. §. 139. p. 359.

24) De Alcuini vita et studiis librisque editis vid. potissimum Froben. in Commentat. de vita Alcuini T. I. p. XIII sqq. Opp. Alcuini. Hist. liter. de la France IV. p. 295 sqq. Fr. Lorentz, Alcuins Leben etc. Halle 1829 et quae ipse disputavi in: Geschichte der Römisch. Literat. im Karoling. Zeitalt. §. 118 sqq. coll. §. 28 et 77. Quibus nunc add. Fr. Monnier: Alcuin et son influence littéraire, religieuse et politique chez les Francs etc. Paris 1853. Quem librum de Alcuino literarum in occidente restauratore sub Carolo Magno edidit J. Bapt. Laforet Lovanii 1851, eum nondum videre licuit.

25) Sunt verba Anonymi de vita Alcuini VI, 12. p. LXIV. T. I. ed. Froben. Et conf. ipsum Alcuinum Epist. 101. T. I. p. 150.

26) Vid. Böhmer. Regest. Carolorr. p. 13 ibique Muratori Antiquitt. Itall. II, 23.

27) Anonymus de vita Alcuini l. l.

28) Ita scribit Einhard. Vit. Carol. cp. 25 quae eadem ferme versibus repetit Poeta Saxo Annall. V. 235 sqq. apud Duchesne l. l. II. p. 176. 182. Mon. Gorman. I. p. 271.

29) Sangallensis Monachus (apud Duchesne II. p. 108 sive V. p. 107 ed. Bouquet. Mon. German. II. p. 731.): „Quem (Alcuinum) usque in finem vitae jugiter secum retinuit (Carolus), nisi quando ad ingruentia bella processit; adeo ut se discipulum ejus et ipsum magistrum suum appellari voluisset“. Sigebertus (De scriptt. eccless. 82. coll. Chronic. ad ann. 790) Alcuini magisterio regem omnes artes liberales didicisse scribit tantaque familiaritate regi acceptum fuisse, ut appellaretur Imperatoris deliciosus: quae eadem inde repetit Joann. Trithem. De scriptt. eccless. cp. 251. Conf. quoque Guilelm. Malmesburiens. de gest. regg. Angl. I. cp. III.

30) Vid. Anonym. de vit. Alcuin. cp. VI §. 12 et conf. Alcuini Epist. 51. 52.

31) Vid. Anonym. de vit. Alcuini cp. VI §. 12.

32) Refero huc, quod initio dialogi de grammatica legitur: „fuerunt in schola Albinii magistri duo pueri“ (Alcuini Opp. II. p. 268). Magistri titulo inde semper afficitur Alcuinus a Carolo, v. c. in dialog. de rhetorica (Opp. II. p. 313); conf. etiam Alcuini Epist. 38. p. 53. T. I. et Epist. praemissam libris de fide SS. Trinitatis (I. p. 704), ubi Alcuinus se id opus conscripsisse dicit: „ut mei nominis, quo a quibusdam Magister „licet non merito, vocor, officium ostenderem.“

33) Inde Palatini pueri vocantur in Alcuini Epist. 84. p. 124. Ep. 85. p. 126; conf. etiam Epist. 38. p. 53 (juvenes in Palatio) et supra not. 7. Catholicae eruditionis filii in Palatio occurrunt in Epist. 126 init. p. 186, coll. Epist. 212. p. 275

(ubi Palatii mentio fit eodem sensu). Hoc pueros palatinos quatuordecim vel quindecim ferme annorum fuisse, colligere mihi posse videor e dialogo pueri Franconis et Saxonis in Alcuini Opp. T. II. p. 268.

34) Sangallensis Monachus l. supra l.: „Qui (Alcuinus) erat in omni latitudine Scripturarum supra ceteros modernorum temporum exercitatus, utpote discipulus doctissimi Bedae, peritissimi post Sanctum Gregorium tractatoris.“ Guilelmus Malmesbur. l. l. „erat enim (Alcuinus) omnium Anglorum, quos quidem legerim, post beatum Adelmum et Bedam doctissimus multisque libris ingenii periculum fecit.“ Alia vid. in Testimon. scriptt. apud Froben. Opp. Alcuini I. p. LXXVIII sqq.

35) Tradit haec diserte Monachus Sangallensis l. l.

36) Vid. Monachus Sangallensis l. l. Ipse Alcuinus Epist. 71 p. 102 ad Carolum scribit, si ipsius studium plurimi sequerentur, fore, ut „forsan Athenae nova perficeretur in Francia, immo multo excellentior, quia haec Christi Domini nobilitata magisterio omnem Academicæ exercitationis superat sententiam“ etc.

37) Quod ii potissimum faciunt, qui hanc scholam s. Academiam certis legibus et institutis circumscriptam ac definitam Parisiis exstitisse contendunt indeque adeo Parisiensis Universitatis, quae longe post Caroli aetatem demum florere incoepit, origines repetunt: de quorum opinione vid. Froben. in Commentat. De vit. Alcuini §. 92. Geschichte d. Röm. Lit. im Karoling. Zeitalter §. 6. not. 9. Gaillard, Histoire de Charlemagne III. p. 160 sqq. 261 sqq. 278. Ampère, Hist. liter. de la France avant le XII siècle III. p. 29. Hauréau, Charlemagne et sa cour p. 171 sqq. coll. p. 57 sqq.

38) Conqueritur Alcuinus de diversis itinerum molestiis, quibus se fatigari scribit in Praefat. ad Interrogat. et Respons. in libr. Genes. I. p. 305 ed. Frob. Add. Epist. 5. p. 8. quae mihi scripta videtur non longe postea quam ad Caroli aulam accesserat; Epist. 29 ad Arnonem data et Epist. 51. 53 de itineribus, quae ad Palatium spectant, loquitur similem in modum, itemque Epist. 154 („quia non occurrit nobis iter agentibus plura scribere“), Epist. 176.

39) Froben. in Commentat. de Alcuini Vita §. 93 et praecipue auctores operis: Histoire liter. de la France. T. IV. p. 10. Gaillard, Histoire de Charlemagne III. p. 280.

40) Vid. not. 37.

41) De hoc loco cogitat Fr. Oebeke De Academia Caroli Magni (Aachen 1847) p. 14. Aquisgranum quoque inde intelligi volunt in Helperici carmine (cf. not. 49.) vs. 94 sqq. ubi „Roma secunda“ celebratur.

42) Si Carolorum Regesta ab Jo. Frid. Boehmero concinnata (Francofurt. 1833) per-
lustramus, Carolum tempore nativitatis Christi in Aquisgranensi Palatio commoratum esse invenimus ann. 788. 794. 795. 796. 798. 799. 802 itemque mense Majo ann. 795. At vero Carolus jam inde ab anno 781 arctiorem hanc cum Alcuino contraxerat consuetudinem

isque post ann. 796 a Palatio regis secessisse videtur ad Turonenses in Sancti Martini monasterium.

43) Conf. modo Froben. in Commentat. de Alcuini Vit. §. 93. Mettensi in civitate scholam fuisse Palatinam nuper contendit Varin, Mém. présent à l'Acad. des Inscriptt. II. p. 588.

44) Epist. 5 ubi haec leguntur: „in hac prece in conspectu altissimi intimas desiderii mei lacrymas per loca Sanctorum Martyrum vel Confessorum Christi, quo me iter instabilitatis deducit, fundere non cesso.“

45) Conf. Luden, deutsche Geschicht. V. p. 205. 568. Lorentz, Alcuins Leben p. 169 sq. cujus rationes impugnare studuit Oebeke l. l. p. 3—14.

46) Conf. Alcuin. De grammatica Opp. T. II. p. 265 sq. Hunc vero libellum aequae ac reliquos hujus argumenti libellos in scholae usum conscriptos esse atque ipsius institutionis modum ac rationem declarare satis certum est: cf. quae dixi in: Geschicht. d. Röm. Lit. im Karoling. Zeitalt. §. 130 sqq.

47) Conf. potissimum Magistri verba in hoc dialogo (II. p. 268 Opp.): „per hos enim [gradus septem s. disciplinas] philosophi sua contriverunt otia atque negotia: iis namque consulibus clariores effecti, iis regibus celebriores, iis videlicet aeterna memoria laudabiles: iis quoque sancti et catholici nostrae fidei doctores et defensores omnibus haeresiarchis in contentionibus publicis semper superiores exstiterunt. Per has vero, filii carissimi, scimitas vestra quotidie currat adolescentia, donec perfectior aetas et animus sensu robustior ad culmina sanctarum scripturarum perveniat: quatenus hinc inde armati verae fidei defensores et veritatis adsertores omnimodis invincibiles efficiamini“. Inde in encyclica ann. 782 (Pertz. Monum. Germ. III. s. Legg. I. p. 45.) Carolus clericos suo etiam exemplo „ad pernoscenda studia liberalium artium“ invitat.

48) De his plura Pseudoturpinus de Vit. Caroli Magni cap. 31: quae eadem versibus expressit Karolelli auctor, quem nuper typis repetendum curavit Merzdorf (Oldenburg 1855) cp. XII. p. 70 sq.

49) In carmine, quod inscribitur „Carolus Magnus et Leo Papa“ sive Angilberti sive Helperici, ut nunc volunt, summis laudibus effertur Carolus ob septem liberalium artium scientiam, vs. 67—79 ex ed. Orell. (p. 25; Duchesne Scriptt. II. p. 189; Bouquet Recueil III. p. 388 sqq.). Pertinent huc quoque Epigrammata in has artes facta a viro docto ejusdem fere aetatis, nuper publicata ab Angel. Mai. in Classic. Auctt. e Vatic. codd. T. V. p. 420 sqq. Ac prius jam Theodulphi carmina in easdem artes pictura representatas (IV, 2) una cum aliis ejusdem argumenti carminibus ad priorem adeo aetatem ut putant pertinentibus e cod. Vatic. exhibuit Sirmond. Opp. T. II. p. 1079 sive p. 813 ed. Venet.

50) In Alcuini carmine 228 (T. II. p. 228 Opp.), quo literarum studia in Caroli aula tractari solita celebrantur, haec leguntur vers. 12 sqq.:

Accurrunt Medici mox Hippocratica tecta:
 Hic venas fundit, herbas hic miscet in olla,
 Ille coquit pultes, alter sed pocula praefert etc.

Inde etiam medicina inter reliquas artes suum tenet locum; vid. *ibid.* Tom. II. p. 332. Epigramma de medicina excipit carmina de septem liberalium artium disciplinis, quae edidit Angel. Mai. l. l. p. 423 sq. Atque huc quoque referunt, quae in Caroli Capitular. ann. 805 leguntur (Pertz. Monum. German. T. III. s. Legg. T. I. p. 132): „de medicinal arte, ut infantes hanc discere mittantur.“

51) Alcuini Opp. T. II. p. 265 sqq.

52) De utroque hoc grammatico, in illius aetatis studiis conjuncto, recte statuit Daniel: die classisch. Studien etc. p. 71. Atque hinc quoque Abbo Floriacensis, qui decimo post Chr. n. saeculo vixit, scribit in Quaest. Grammat. (in Angel. Maj. Classice. Auctt. V. p. 333): „Quapropter Donati vel Prisciani potius regulis dare operam suadeo, quam audacibus juniorum inventis“ etc. Qui proprius ad Caroli Magni aetatem accedit poeta grammaticam celebrans (*ibid.* p. 420), haec canit:

„ad liquidum certo quam primus dogmate duxit
 Donatus fama notus in urbe pla.“

Donatum se legisse profitetur, alia ut mittam testimonia, Theodulphus Carmin. IV, 1. 17 (Sirmond. Opp. II. p. 811.). De Prisciani studiis per medium aevum plura nuper admonuit Hertz. Praefat. ad Priscian. p. VIII sq. XII sq.

53) T. II. p. 301 Opp.

54) Inde initio, hujus libelli leguntur versus hi:

Me legat, antiquas vult qui proferre loquelas,
 Me qui non sequitur, vult sine lege loqui.

55) E multis, quae huc pertinent, conf. modo Alcuini Carmin. 228, 18. 263 in fin. 105.

56) Inde Calliopium scholasticum, qui, ut codicum subscriptiones docent, Terentii comedias recensuit, haud alium esse atque Alcuinum, qui a Calliope Musa hoc nomen sibi imposuerit, plures viri docti contendunt (C. Barth. Advers. VI, 20. Eustach. Swartius in Analectt. III, 16), certo antiquitatis testimonio quamvis destituti: virum doctum Carolingorum aetatis Calliopium fuisse, dubitari vix posse videtur. Conf. Geppert in Jahrb. f. Philolog. u. Paedagog. Supplem. XVIII. p. 28 sqq. ac praecipue O. Jahn, in Bericht. d. Sächs. Gesellsch. d. Wissensch. (1851) V. p. 362 sqq.

57) Vid. Alcuini Opp. T. II. p. 213 sqq. et conf. Monnier: Alcuin etc. p. 68 sqq. Daniel: die classisch. Studien etc. p. 67.

58) Vid. Ciceron. de Orator. I, 8 fin. de Invent. I, 2.

59) Hunc librum illa aetate admodum tractatum fuisse codices adhuc superstites ad nonum usque saeculum recedentes ostendunt: quorum omnino tanta est multitudo, ut medii

aevi magistros inde a Caroli Magni aetate hunc auctorem potissimum secutos esse appareat. Conf. Kayseri Praefat. ad Cornificium p. XIII. XV sqq.

60) Vid. Alcuini Opp. T. II. p. 335 sqq. Ipsam philosophiam sic definit: „Philosophia est naturarum inquisitio, rerum humanarum divinarumque cognitio, quantum homini possibile est aestimare.“ Conf. etiam Monnier l. l. p. 74 sq.

61) Vid. Alcuini Opp. II. p. 319. „quia me in cellaria Arithmeticae disciplinae pridie sagaciter induxisti vel Astrologiae splendore illuminasti.“

62) Vid. Alcuini Opp. II. p. 355 sqq.

63) Conf. Alcuini Epist. 68—71.

64) In dialog. de grammatic. Opp. T. II. p. 270: „Plenius haec, vita comite, in metrica ratione vobis, filii, monstravero.“ — „Amplius haec quoque in illa metrorum subtilitate intelligetis.“

65) Librum de septem artibus, quem ex fide codicis veteris Alcuino tribuit Quercetanus et inter Alcuini opera edidit, huic tribui non posse monstravit Froben. T. II. p. 263. 264 Opp. Alcuini.

66) De Quaestionibus Palatinis scribit Alcuin. Epist. 23. p. 33 eodemque etiam spectare credam Caroli Magni literas ad Alcuin. Ep. 66. p. 89, coll. Epist. 124. Plura de his vid. apud Oebeke l. l. p. 14—22. De studiis in regis aula tractatis canit Alcuinus carmine 228.

67) Intelligo Carolum, ad quem Alcuinus plures misit epistolas (Epist. 178 sqq.), Pipinum, ad quem data est epistola 33, Ludovicum, ad quem eundem plures literas scriptas olim fuisse hodie non superstites, docent verba epistolae 179 ad Carolum datae. Disputatio Alcuini magistri cum Pipino discipulo exstat in Alcuini Opp. II. p. 352 sqq.

68) De Gisla (Lucia) vid. Alcuini Epist. 98. 99 et Epistolam praemissam Commentarr. in Joann. Evangel. T. I. p. 459 sq. De altera Gisla, quae Caroli fuit filia, vid. Epist. 100; de utraque conf. Frobenii Commentat. de Alcuini Vit. §. 89 sqq.

69) Epistolae 184 (p. 247 T. I), quae ad Gundradam virginem sive Eulaliam scripta est, initio haec leguntur verba: „Saepe familiaritas nominis immutationem solet facere, sicut ipse dominus Simonem mutavit in Petrum et filios Zebedei filios nominavit Tonitruum, quod etiam antiquis vel his novellis diebus probare poteris.“ Gundrada haec, cognomento Eulalia, ad quam Alcuinus quoque scripsit libellum de animae ratione (T. II. p. 146 sqq.), Adalhardi Abbatis Corbejensis soror, virgo nobilissima in regis Palatio excelluit.

70) De his cognominibus conf. Alcuini Carmina 227—238 et quae disserit Froben. in Commentat. de Vit. Caroli M. §. 83 sqq. Oebeke De Academia Caroli p. 6 sq. Geschichte d. Röm. Literat. im Karoling. Zeitalt. §. 6. Neque hoc a more illius aetatis abhorruisse, similia nomina Catonis, Ciceronis, Varronis, Terentii, Horatii, Lucani, Virgilii, alia, ostendunt viris doctis ac magistris illius aetatis imposita: qualia

in Virgillii Grammatici, qui ad hanc ipsam aetatem pertinet, operibus occurrunt: vid. Ang. Mai. *Classicc. Auctt. e Vaticc. codd. editt. T. V. Praefat. p. XIII sq.*

71) Graecos quoque scriptores in hac schola lectitatos esse vix crediderim: nullum enim certum exstat vestigium, nec ipse Alcuinus hujus linguae satis gnarus fuisse videtur, ut recte nuper admonuit Cramer. in *Dissertat. de Graecis medii aevi studiis Part. alter. (Sundiae 1853) p. 18. Idem p. 13 sqq. exponere studet, quae Caroli Magni de literis Graecis earumque studiis revocandis fuerint merita.*

72) De hac bibliotheca Alcuinus in carmine de Pontifcc. et Sanctt. Eccles. Eboracensis canit vs. 1535 sqq.:

Illic invenies veterum vestigia Patrum,
Quidquid habet pro se Latio Romanus in orbe,
Graecia vel quidquid transmisit clara Latinis,
Hebraicus vel quod populus bibit imbre supernae,
Africa lucifuo vel quidquid lumine sparsit."

Sequuntur deinceps nomina Patrum, quorum opera in hac bibliotheca asservantur, tum profani scriptores vocantur: Pompejus (i. e. Justinus), Plinius, Aristoteles (in Latinum conversus), Cicero, Virgilius, Statius, Lucanus; ac praecipue Grammatici Latini: Probus, Focas, Donatus, Priscianus, Servius, Eutichius, Pompejus, Comminianus.

73) Inde Alcuinus senex cum a regia aula in monasterium Turonense secessisset ibique libros eruditionis scholasticae deesse comperisset, ex Britannia hos libros afferri ac describi vult regemque ad id hortatur *Epist. 38. p. 53.*

74) Vid. *Histoire liter. de la France IV. p. 282 et conf. ea, quae dixi in: Geschichte d. Römisch. Literat. im Karoling. Zeitalt. §. 6. Hinc Bertgaudus, scriptor regius commemoratur in Lupi Epist. 5. Referri quoque huc poterunt Alcuini carmina Sacri Codicis voluminibus inscripta, nr. 2 et seqq. quorum in uno leguntur haec:*

perge libelle sacer —
et pete praeclari praeclara palatia regis etc.

Idem carmine 67 se convertit ad Musaeum libros (sacri codicis) scribentium.

75) In *Vit. Carol. cp. 33 de quo loco conf. Koeler l. mox l. p. 6.*

76) Vid. *Ademari Chronic. ad ann. 816 in Labbé Nov. Biblioth. Mss. II. p. 158. Ex proxime antecedentibus Aquisgrani hanc bibliothecam fuisse quis colligat. — De Amalario vid. Histoire liter. de la France IV. p. 531 sqq. Geschichte d. Römisch. Literat. im Karoling. Zeitalt. §. 150.*

77) Vid. *Capitt. Regg. ed. Baluze T. II. p. 264. nr. 12.*

78) Spectat huc potissimum *Commentatio de bibliotheca Caroli Magni Imperatoris ad Eginharti de vita ejusdem Cap. XXXIII, quam — sub praesidio Jo. Davidis Koeleri — pro legitime obtinendis honoribus in philosophia summis publice proponit Fridericus Paulus*

Stoy. Altorf. 1727. 4. Nam Koelerus, qui est hujus commentationis auctor, inde a §. III. p. 8 sqq. singula recenset volumina, quae in Caroli Palatio conscripta vel inde descripta diversis locis adhuc exstant; maximam partem ad Sacram Scripturam aut ad Patrum opera pertinent: pauca classicorum scriptorum, veluti Ausonii, Terentii, volumina commemorantur; vid. p. 45. Koelerum potissimum sequitur auctor libelli, qui inscribitur: Kaiser Karl's des Grossen Büchersammlung: ein Bruchstück aus Graf Wackerbarth's Schilderung der teutschen Kaiser etc. Dresden 1837. 4. Novi quidquam vix profert.

79) Archivum Palatii commemorat Einhardus, Ann. ad ann. 813 (T. II. p. 258 Duchesne s. Mon. German. I. p. 200).

80) Inter hos Claudium Taurinensium postea Episcopum fuisse, virum doctissimum, dubitare vix sinunt, quae scribit Jonas Aurelianensis in Praefat. libr. de imagg. cultu (T. XIV. p. 167. Bibl. Max. Lugdun.) De Claudio dixi in: Geschichte d. Römisch. Literatur im Karoling. Zeitalt. §. 145. Add. C. Schmidt in: Zeitschrift für histor. Theolog. 1843 p. 39 sqq.

81) Pertinet huc quoque Caroli Magni Encyclica de literis colendis, anno 787 data ad Baugulfum, abbatem Fuldensem, quem hortatur, inculto sermone in multis ad se directis scriptis offensus, ad literarum studia non solum non negligenda, verum etiam certatim discenda, ut facilius et rectius divinarum scripturarum mysteria valeant penetrare; commendat inde Imperator quam maxime literarum studia, atque hanc ipsam encyclicam ad omnes episcopos et per omnia monasteria dirigi vult. Vid. Pertz. Monum. German. T. III. (Leg. I.) nr. 29. p. 52. Add. Ideler, Leben und Wandel Karls des Grossen II. p. 118 sqq.

82) Hujus eruditionis per meridionalem Galliam propagatae certum vestigium mihi praebere videntur Virgilio Grammatici Tolosani opera ab Ang. Maio l. supra l. nuper vulgata: in quibus adeo variarum scholarum (v. c. p. 6. 63. 72) atque generum duodecim Latinitatis (p. 99) mentio fit multique commemorantur viri docti grammatici illius aetatis (cf. Angel. Mai. Praefat. p. XV sqq.). De hoc Virgilio conf. Osann, Beiträge z. griech. u. röm. Lit. Gesch. II. p. 128 sqq. Marty-Laveaux, Examen des oeuvres de Virgilius Maro le grammairien, in: Bibliothèque de l'Ecole des Chart. Deux. ser. (1849) T. II. p. 245 sqq.

83) Spectat huc potissimum Alcuini Epist. 101. p. 151. Plura de Alcuino ejusque secessu Turonensi et schola Turonensi vid. apud Froben. Comment. de vit. Alcuini §. 103 sqq. Monnier l. l. p. 183 sqq. Scholae, quam in Palatio reliquit ad Turonenses discedens, ipse meminit Epist. 67, quae scripta fertur anno 798. Monasterii praefecturam suscepit anno 796: cf. Froben. ad Epist. 101. p. 151.

84) Pertinent huc Epistolae 85. p. 126. 175 p. 236 et praecipue 38 p. 53, quae scripta perhibetur anno 796; in hac epistola ad Carolum Magnum scripta praeter alia leguntur haec: „Ego vero Flaccus vester secundum exhortationem et bonam voluntatem vestram aliis per tecta Sancti Martini sanctarum mella scripturarum ministrare satago, alios

vetere antiquarum disciplinarum mero inebriare studeo, alios grammaticae subtilitatis enutrire pomis incipiam: quosdam stellarum ordine ceu picto cujuslibet magnae domus culmine illuminare gestio, plurima plurimis factus, ut plurimos ad profectum sanctae dei ecclesiae et ad decorem imperialis regni vestri erudiam, ne sit vacua dei omnipotentis in me gratia nec vestrae bonitatis largitio inanis. — „Mane florentibus per aetatem studiis seminavi in Britannia, nunc vero frigescente sanguine quasi vespere in Francia seminare non cesso“. —







